

vniversalis denominari nequit: quarta. quod sit ens importans conceptum per se vnum, & in complexum: quare nec ens per accidens, nec distinctio, vniversalia appellari valent: quia non dicuntur conceptum per se vnum.

2. Notan.

Secundo notandum: quod sicut in rebus positiuis datur natura generica, quæ nõ est aliquid à rebus distinctum, sed est quædam ratio communis per intellectum abstracta, omnibus speciebus conueniens, & de omnibus æqualiter prædicabilis: ita in priuationibus reperitur quædam natura generica suo modo, id est, communis, & vniversalis, omnibus priuationibus conueniens, & de omnibus æqualiter prædicabilis, quæ nihil aliud est, quam carentia formæ in subiecto: priuationes enim ad modum entium positiuorum cognoscimus.

1. Conclus.

Dicendum primo. Omnia entia rationis proprie dicta possunt relationes generis, & speciei fundare: hæc est communis cum Doctore, passim in his questionibus: nam hæc sunt verger genus est vniversale: genus est species: vt supra vidimus.

2. Conclusio.

Dicendum secundo. Non solum entia realia completa, & in recta linea prædicamentali collocata: sed etiam incompleta, & quæ reductiue in ea ponuntur, possunt prædictas secundas intentiones fundare, respectu suorum inferiorum: hæc quoad primam partem ab omnibus conceditur: quoad secundam statuitur contra Caietanum, & Toletum capite de specie oppositum de materia, & forma defendentes: sed vltra rationem à Conimbribus factam, probatur primo, natura, vt possit vniversalis denominari, solum postulat, vt sit ens limitatum, vnioctam, & per se vnum: sed tam anima: v. g. quam materia, & alij modi, sunt huiusmodi: vt intuenti patet: ergo.

Secundo probatur à Hieronymo Valera lib. 1. dist. 2. Art. 1. quæst. 7. ad hoc vniversalis denominatur naturam, vt possimus illam de multis affirmare, & prædicare: ergo id, quod intelligi potest, vt dicens ordinem ad plura, & vt quid potens esse in illis, & de illis prædicari, & potest concipi, vt ratio vna vniformis, & indiuisa, est subiectum, capax vniversality: sed entia realia incompleta sunt huiusmodi: ergo dices: & est fundamentum Caietani: si partes Physicæ, & Metaphysicæ, & reliqua entia in completa, sunt genera, & species: sequitur: tum, quod erunt per se in prædicamentis: quia genera, & species, ad rectam lineam ordinantur: tum etiam: quia erunt perfecta species: quod talibus entibus competere nequit: quia non sunt composita perfecte.

Respondeo: non omne genus, seu speciem prædicabilem, esse genus, seu speciem prædicamentalem: licet bene è contra: & ita non sequitur: primùm inconueniens: nec etiam sequitur secundum: quia vt sit species prædicabilis: sufficit, quod sit Metaphysicè composita ex genere, & differentia in completis: & quod sint distinctibiles, eo modo, quo entia sunt.

3. Conclus.

Dicendum tertio. Priuationes, & Negationes in genere, sunt harum intentionum fundamenta. Hæc est Doctoris quæst. 11. Prædicam. &

in secundo dist. 37. vbi vult peccata inter se specie per priuationes distinguere: & sic in nostra Schola communis, contra Conimbribenses, & alios, quos ipsi citant: & probatur: inter peccata datur vera distinctio specifica moralis, vt omnes Theologi tatenur: sed talis, in probabilissima opinione Doct.imo & D. Thomæ, fit per priuationes morales: ergo saltem priuationes istarum genera, & species fundabunt.

Secundo: cæcitas, & surditas, distinguuntur specie: ergo hæc sunt prædicationes generis de specie: cæcitas est carentia formæ in subiecto apto: & surditas est carentia formæ in subiecto apto nato: ac per consequens in priuationibus dantur genera, & species.

Ad argumenta patet: quid sit dicendum: fatemur enim priuationes non fundare proprie, & strictè, genus, & speciem: quia hoc est proprium entium realium: & hoc tantum vult Philosophus: & fundamentum argumentorum: bene tamen large, & suo modo, has intentiones fundare possunt.

ART. II.

Quid sit diffinitum in diffinitione generis, & aliorum prædicabilium.

QVIACUM tam vniversale in communi, quam quodlibet in particulari, sit nomen connotatiuum dicens vnum proprium materiali, scilicet, ipsam naturam, quæ vniversalis denominatur: & aliud proprium formali, videlicet, ipsam formam vniversalitatis: ex quo quodlibet quadrupliciter potest sumi: primo, pro re substracta, de qua Art. præcedente: secundò, pro ipsa forma, seu relatione rationis: tertio, pro aggregato ex vtroque: quarto, denique pro re substracta, vt subest tali intentioni: vel pro ipsa intentione, vt denominat rem substractam: inde fit ex varietate acceptioinum generis varietatem opinionum resultare. Et quamvis omnes cum Doctore conueniant, genus pro aggregato hic non diffiniri: quia ex texto Metaph. ens per accidens non diffinitur: nec etiam genericitatem in abstracto: quia talis à Logico per se non consideratur: non tamen respectu aliarum generis acceptioinum conueniunt omnes.

Vnde est prima sententia aliquorũ asserens, diffinitum in hac, & in alijs vniversalium diffinitionibus, esse naturam ipsam secundum se sumptam: probatur primo, natura secundum se sumpta est, quæ inest multis, & de multis prædicatur: non vero secunda intentio: ergo natura est hic diffinitur: ante cædem probatur: nam animal est, quod de homine prædicatur: & nõ genus: homo enim non est genus, sed animal.

Secundo, illi conuenit prædicari de inferioribus, cui conuenit ab eisdem abstrahi: sed hoc non conuenit secundæ intentioni, sed ipsi naturæ: ergo illi conuenit prædicari: ac per consequens ipsa est diffinitum.

Secunda sententia est aliorum asserentium naturam, non secundum se, sed prout subest secundæ intentioni, esse hic diffinitum: hæc, quæ in textu innominato auctore ponitur, existimatio detendi à Paulo Veneto, quem postea sequuti sunt Rubius, & Murcia, in hoc capite, tenentes naturam esse diffinitum quoad, & secundam intentionem esse diffinitum quoad: vnde quodlibet est per se diffinitum: & vtriuq; est per se diffinitum totale: fundamentum præcipuum huius sententiæ sic se habet: diffinitum per se, & completum, istius diffinitionis nequit esse natura secundum se (in diffinitione enim albi diffinitum per se non est corpus præcise) nec genericitas, cum de illa nequeat diffinitio verificari: illa enim non est, quæ prædicatur, sed tantum ratio formalis prædicandi: sicut albedo non est alba, sed forma, quæ corpus est album: ergo cum concretum, ex modo suæ significationis, essentialiter concernat subiectum; quando diffinitur, ipsum subiectum diffinitur: & ex ipso, & formâ, vnum totale, & completum diffinitum coalescit.

Tertia tandem sententia est nostri Doct. & omnium suorum, asserens secundam intentionem in concreto, quæ per hoc nomen, genus, explicatur, esse huius diffinitionis diffinitum: pro qua notandum primo, ex omnibus Scotistis cum Doctore in præsentibus sciendum tamen: & in Antepredicament. quæst. 8. & quæst. 11. & in 1. dist. 4. quæst. 1. & in 4. dist. 1. quæst. 1. h. T. quod quodlibet accidens reale potest dupliciter considerari, & significari, vel in abstracto, vel in concreto: vt albedo, & album: quæ duæ acceptiones conueniunt in hoc, quod significant idem primo, & per se: ipsum scilicet accidens: differunt tamen in modo significanti: nam abstractum significat formam accidentis non vt alteri adiacentem, sed quasi per se stantem: concretum vero significat formam connotando subiectum, quod denominat: non quod ex quo significet vtriuq; alter esset ens per accidens: sed primo, & per se: formam accidentalem significat: subiectum connotat, quod proprie connotare dicitur: vnde tale accidens dupliciter potest diffiniri: & in abstracto, & in concreto: sed in vtraque diffinitione tantum natura accidentis, & non subiecti explicatur: diuersimodè tamen: nam in abstracto solum datur vnicum diffinitum: in concreto vero duplex: alterum essentialiter, primum, & immediatum, cui, scilicet, essentialiter, & per se, conuenit diffinitio, tanquam ei, cuius natura explicatur; & est ipsa forma in concreto significata: alterum est diffinitum remotum, & accidentale, cui, scilicet, diffinitio accidentaliter, & denominatiue conuenit, & hoc est ipsum subiectum à tali forma denominatum.

Vnde cum genus, & quodlibet vniversale, sit quoddam concretum rationis; quando significatum suum, scilicet, genericitatem, ponitur sub modo significandi concreto, tunc retinet nomen suum abstractum, sub quo de primis intentionibus prædicatur, quod est genus: & hoc modo proprie significatur secundum quod est intentio secundum: quia ratio intentionis secundæ est, quod sit applicabilis primis: nam si significatum formale generis, quod est idem sub concretionem, & sub abstractionem, significaretur in abstracto, tunc non

1. Sententia

1. Argum.

Secundum

2. Sententia

posset applicari rei, ad quam est aptum applicari: eo quod non potest illi applicari, nisi per prædicationem: constat autem: quod nulla secunda intentio potest prædicari in abstracto de re prius intentionis: hæc enim est falsa, animal est genericitas: sed semper prædicatur in concreto: itaque genus de formali significat genericitatem, & de materiali connotat colorem, vel animal, seu aliam naturam, quæ deõminat, & cui per intellectum attribuitur: & hoc est summi generis in concreto: & idem de alijs vniversalibus dicatur suo modo.

Argum.

3. Sententia

1. Nota

Secundo notandum: quod in quolibet vniversali duplex est diffinitio, materiale, scilicet, & formale: vt diximus: quorũ quodlibet adhuc est duplex: alterum ad æquatum, alterum in ad æquatum: quatuor materiale est natura denominata in communi, vt abstrahit ab omnibus naturis particularibus; in ad æquatum vero materiale est quodlibet natura in particulari. Ad æquatum formale est secundum intentionem denominans naturam in communi, & comunem: in ad æquatum autem formale est vna secunda intentio denominans naturam particularem. Exemplis ad propositum, res manifesta fiet: cognoscens intellectus noster animal esse in homine, & Leone: & colorem esse in albedine, & nigredine: comparat tunc animal homini, & Leoni: & colorem albedini, & nigredini: ex qua comparatione resultat in anima, & colore, vnice saluæ generis in particulari, & in ad æquatum: quia scilicet denominat animal, & colorem, quæ materialia in ad æquatum dicuntur: & intellectus, animal, colorem, figura, & alias naturas, quæ sunt in multis specie distinctis, & conueniunt in hoc, quod est esse in multis specie distinctis, abstrahit, & format de illis: quatenus sic conueniunt, conceptum vnum quid dicitur: terminatum ad omnes, pro vt habent quidditates: & se communes negatiue, vt sint in pluribus differentibus specie: & postea comparans hunc conceptum obiectiuum habentem vnitatem proportionis ad ipsas naturas, prout habent esse cognitum, resultat in illis relatione inferiorum, & in conceptu relationis generis, seu superioris: quare talis conceptus cognitus, & comparatus, est materiale ad æquatum generis in communi, & relatio inter ipsum, & illas naturas resultans est ad æquatum formale, quod dicitur genericitas, & quod per se per hoc nomen, genus, significatur. Itaque genus, de formali significat hanc relationem: & de materiali conceptum illum ad plures naturas specie differentes comparatum; & idem de reliquis prædicabilibus: & de ipso vniversalium in communi, vt ab ipsis abstrahit, dicatur.

Dicendum primo: Diffinitum in generis diffinitione non est natura realis secundum se sumptam: est Doct. contra primam sententiam: & præter argumentum in textu positum: ad oppositum: quæ hanc conclusionem probant: probatur vltra: quia cum diffinitio explicet naturam rei, quæ diffinitur, illud erit in diffinitione diffinitum, cuius natura explicatur: sed in diffinitione generis non explicatur natura secundum se: cum vt sic, non sit secunda intentio: ergo probo minorem. Tum quia diffinitio per se

2. Not.

1. Conclus.

prædicatur de diffinito: hæc autem est per accidens: animal prædicatur de pluribus speciebus: tum etiam; quia tunc inferiora illius naturæ essent essentialiter genera: sicut essentialiter eam includunt: & ita hæc est vera: homo est genus: sicut ista: animal est genus: per oppositum opinantes.

2. Conclusio.

Diendum secundo. Natura, prout subest secundæ generis intentioni, non est diffinitum in hac diffinitione: est Doctoris, & suorum contra secundam sententiã: & probatur à Doctore: quod hic diffinitur, conuenit vniocè rebus omnium generum: vt animal, color, figuræ, &c. sed impossibile est aliquã rem, qualitercunq; sub intentione generis conuenire vniocè rebus omnium generum: ergo impossibile est re sub intentione hic diffiniri. Consequentiã patet: maior declaratur: nã diffinitum hic debet esse vniocè aptum conuenire, applicari, & attribui rebus omnium generum sumptis pro generibus singulorum, & nõ pro singulis generibus: licet de illis vniocè non prædicetur: & nota: quoad aliud est dicere, conuenire multis vniocè, aliud de multis vniocè prædicari: nã nulla secunda intentio potest vniocè prædicari de primis intentionibus: vt patet per Doct. in 3. dist. 7. q. 1. quia nihil de alio vniocè prædicatur, nisi ei conueniat in primo modo dicendi per se: & cum hoc secundæ intentioni non cõpetat, non potest de rebus omnium generum prædicari: attamen conuenire vniocè multis est illis attribui secundum idẽ nomen, & eandẽ rationẽ: hoc est, esse vniocè illorum prædicatũ: quod secundæ conuenit intentioni, respectu primariũ: & ita est vera maior probatur: res talis non potest cõmuniõ nomine significari, quam per hoc nomen, ens: ergo si res aliqua sub intentione posset esse vniocæ, esset ens sub intentione generis: ac per consequens tantum vnum esset genus omnium rerum. Vide hoc apud Doctorem.

3. Conclusio.

Diendum tertio. Diffinitum in generis diffinitione est secunda intentio in concreto, per hoc nomen, genus, explicata: hæc est Doct. vt patet: & probatur à sufficiente partium enumeratione: & præterea: quia diffinitio hæc datur per terminos secundæ intentionis: ergo essentialiter secundæ intentioni conuenire debet: non in abstracto: quia Logicus has non considerat: ergo in concreto: quod est proprium Logici munus: vide etiam hæc in textu.

Ad argumenta prima sententiæ respondetur: notando cum Doct. quod prædicari est per se secundarũ intentionum: quia est secunda intentio: & dicit actum signatũ: esse vero est proprie primariũ intentionis: & dicit actum exercitum: exemplum: genus prædicatur de specie: species prædicatur de indiuiduo: recte dicitur non tamen species est genus, vel indiuiduũ est genus: saltem si sumatur vt quid: vt supra diximus: per hoc enim verbum, sum, es, fui, & sibi similia, exercetur in primis intentionibus, quod in actu signato importatur per verbũ prædicari, & alia æquiualentia. Ex quibus infert Doct. primo: quod concreta secundæ intentionalia supponunt pro fundamentis, maxime in prædicatione signata: quare cũ dicitur: genus prædicatur de specie: denotatur,

quod homo est animal: vel aliud simile.

Secundo infert: quod à prædicatione signata ad exercitum, in eisdem terminis, non tenet consequentiã per se: sed bene in alijs: vt puta, ab intentionibus ad fundamenta: quare non valet: genus prædicatur de specie: ergo homo est species: sed bene valet: ergo homo est animal: quia in prima consequentiã, prædicatũ conuenit per accidens, subiecto: in antecedente autẽ conuenit illi per se: & à per se ad per accidens non tenet cõsequentiã.

Hoc posito, patet ad argumenta posita in textu: & ad primũ primæ sententiæ: nam natura prædicatur de multis in actu exercitum: intentio vero in actu signato: aliud vero est, quod diffinitur in Logica: aliud vero, in quo exercetur: illud est intentio, cui per se conuenit prædicari: istud autẽ est natura, cui per se conuenit esse: et si illi conueniat prædicari, est tantum per accidens: quod intentionibus secundis non conuenit. Et per hoc ad secundum: nam naturæ abstractæ tantum per accidens conuenit illi prædicari: nisi dicas; quod secunda intentio in concreto connotat naturam abstractam, quæ ratione generitatis illam denominantis, potest de pluribus prædicari. Primatamen solutio est tutior.

Ad fundamentum secundæ sententiæ patet ex not. primo: concretũ enim non diffinitur quoad connotatũ, sed quoad suũ significatum, quod est forma, cum concernentia ad subiectũ: quod subiectum dicitur diffinitum remotum, & accidentale, cui scilicet, accidentaliter diffinitio conuenit.

Ad argumentum secundæ sententiæ.

ART. III.

An genera, sub alternum, infimum, & supremum, specie distinguantur?

Articulus iste non tantũ procedit de genere, sed etiam de alijs prædicabilibus suo modo: nec intelligitur de illis, prout in cõcreto sumuntur, modo Articulo præcedente explicato: id est, prout connotant primas intentiones, & à Logico considerantur: sed intelligitur de illis secundũ se, & prout sub cõsideratione Metaphysici cadunt: & in hoc sensu, Articulo sumpto, duplex circa illum, versatur sententiã: prima asserit, hæc tria genera inter se solo numero differre: ita vt genus, respectu illorum, species infima denominetur: hanc tenent fere omnes Thomistæ: Sánchez lib. 3. q. 6. & ex not. Hieron. de Valera lib. 1. dist. 3. art. 2. q. 5. vbi ait, esse omnibus Dialecticis communem: eamq; probabilẽ iudicat Dominus Maurit. in hac quæst. 5. 2. dubitatur: & idem q. 9. & probatur primo auctoritate Doct. qui in solutione ad secundũ huius quæstionis expresse asserit: quod hæc intentio, genus, non est quid, nisi tantum numero differentium, quæ sunt genera, de quibus loquimur: ergo.

Secundo arguit Sanchez: ratio subalterni, & generalissimi, accidit generi, vt sic; & est aliquid extrinsecum illi: ergo tantũ accidentaliter differunt: etiam si sint circa eandem Categoriã: antecedens patet: nam genus, vt sic, potest concipi,

1. Sentent.

1. Argum.

quin generalissimũ, seu subalternũ, concipiatur: & cõsequentiã tenet: nam si distincta sunt accidentalia, distincta accidentaliter differunt.

Tertium.

Tertio, si genus generalissimũ, & subalternum essentialiter differunt, essent duo generis prædicabilia: consequens est falsum: ergo.

Quartum.

Quarto, arguit Valera: vnitatis, siue essentialis distinctio relationum, sumitur à modo respiciendi terminum: sed omne genus, quodcunq; sit, respicit eodẽ modo sua inferiora, species, scilicet, vt species sunt subijcibiles: non vero, vt genera: & ratione talium generitatum, naturæ denominatæ eodem modo prædicantur de tuis inferioribus, videlicet vt tota potentialia: & in quid incomplete: nec aliud, petit essentia generis, vt patet ex eius diffinitione: ergo si subijcibilia habent eandem rationem essentialem terminandi, & solum numero differunt, vt sic; etiam omnia genera tantum numero differunt; si quidem habent eundem modum illa respiciendi.

2. Sentent.

1. Not.

Secunda sententiã est opposita, & mihi probabilior videtur, quam expresse tenet Anglic. q. 7. & probabilẽ reputat Maurit. pro qua notandũ primo, quod fundamentum proximum generis; de quo Artic. præcedente, tripliciter abstracti potest: nam si fuerit abstractus à multis naturis, quæ sub se habet plura solo numero distincta, est fundamentum generis infimi: si vero fuerit abstractus à multis habentibus sub se plura specie differentiã; & cum hoc simul habent aliud superius limitatum; est fundamentum generis subalterni: tandem si fuerit abstractus à multis sub se plura essentialiter differentia continentibus, quæ tamen supra se superius limitatum non habent, est fundamentum generis supremi. Exemplum primi, vt gradus animalis, ab homine; & Leone abstractus: exemplum secundi: vt gradus viuentis abstractus ab animali; & planta; & inferior ad corpus; exemplum tertij, vt gradus substantiæ, quantitatis, & aliorum Prædicamentorum, abstractus per intellectum: & ex his tribus fundamentis suis inferioribus comparatis, resultant tres generitates, quibus tria prædicta genera constituuntur.

2. Notand.

Secundo notandum: quod in omnibus accidentibus, tam realibus, quam rationis, duplex distinctio attendi potest: prima dicitur materialis: secunda vero formalis: prima attingitur penes subiectum accidentium: secunda vero penes suas proprias quidditates: illa plerumq; dicitur numeralis: ista semper specifica, vel generica: tandem secunda, cum penes quidditates accidentium attingatur, & ista sint inuariabiles; sic illa nunquã in nullo accidente variatur: ceterum prima cũ penes materialia accidentium veniunt, sequitur ipsorum materialium naturam: vnde cum omnis relatio respiciat subiectum, fundamentum, & rationem fundandi, tanquam materialia: penes hæc tria etiam eius distinctio materialis desumeret sequens cuiuslibet distinctio nem: siue sit relatio realis, siue rationis, de qua loquimur: quamvis distinctio relationum rationis per fundamenta sit proprium Logici: Metaphysicus enim inquit de illarum distinctio-

tionem formali: in quo sensu diximus Articulum procedere: nam in priori sensu, non est tantæ difficultatis: licet in vtroque à nobis sequentibus conclusionibus explicabitur.

Diendum primo. Rationes formales generis infimi, subalterni, & supremi, differunt essentialiter inter se. Hæc conclusio probatur primo, ex Doct. in Antepredicamentis quæst. secundã, vbi docet generalissimũ, quod est vnum horum trium generum, esse subiectum in lib. Prædicament, sed de ratione subiecti est, quod sit species diffinibilis: quia est subiectum demonstrationis: ergo genus generalissimũ distinguitur specie, ab alijs: & e contra.

Secundo, in secundis intentionibus datur coordinatio generum, & specierum, sicut ponitur in primis: vt expresse habetur à Doct. quæst. 11. Antepredicament, sed in primis dantur gradus generici, infimus, sub alternus, & supremus: qui essentialiter distinguuntur: ergo in secundis intentionibus, relationes generitatum ipsos denominantes etiam inter se essentialiter distinguuntur.

Tertio, magis differunt genus generalissimũ, & subalternum inter se: quam vnum generalissimũ ab alio, sed hoc generalissimũ, & illud differunt numero: igitur generalissimũ, & subalternum, plusquam numero: sed distinctio maior, quam numerica est, specifica: igitur.

Quarto, secundum Doct. passim in his quæstionibus, diffinitiones, & diuisiones Logicales; vbi cunq; possunt verificari, de secundis intentionibus sunt intelligendæ: igitur cum genus à Porphyrio diuidatur in generalissimũ, & subalternum, & vtrunq; diffiniatur cap. de specie; sequitur, quod tales diffinitiones, & diuisiones, dantur per differentias formales, & non materiales.

Vltimo; illæ intentiones secundæ differunt specie, quæ eidem (nec respectu diuersorum) possunt applicari: huiusmodi sunt generalissimũ, & subalternum: ergo.

Diendum secundo. Relationes istæ, & per ordinem ad suos terminos, ac per ordinem ad sua materialia, specificè differunt, eo modo, quo extrinseca faciunt specificè differre: hæc conclusio Logice procedit, quam, sicut & præcedentem iudico certam, & quoad omnia confirmo: nam vbi dantur termini essentialiter diuersi, ac distinctæ rationes fundandi specificæ, dantur distinctæ specie relationes: sed sic se habet in istis generibus: ergo minor, & in primis de terminis, probatur: nam genus subalternum habet pro termino habere superius ad se ipsum: & generalissimũ nõ habere superius: sed habere; & non habere superius sunt termini essentialiter oppositi: ergo.

De fundamentis etiam patet: nam fundamentum proximum in generalissimo est natura cõparata ad non superius; & ratio fundandi est cõparatio passiva in tali natura derelicta ad intellectum comparantem: & in genere subalterno fundamentum proximum est natura comparata ad aliud, vt ad superius; & ratio fundandi est cõparatio passiva in ipsa derelicta ad intellectum etiam comparantem: sed istæ duæ comparatio-

1. Conclusio.

2. Conclusio.

nes passivæ specificæ differunt: nam de naturis abstractis non est dubium: ergo. Probo minorem: nam differunt inter se, sicut actus comparativi differunt: sed isti differunt specificè, ex ea parte, qua sunt relativi: ergo. Probo minorem: nam obiectum actus comparativi, quo resultat relatio generalissimi, est natura, ut non habens superius, nec ut potens esse species: obiectum vero actus, per quem resultat relatio subalterni, est natura, ut habens superius, & potens esse species: sed ista duo obiecta inter se essentialiter differunt: ergo & actus ad illa terminati: ergo & comparationes derelictæ: ergo & relationes in ipsis fundatæ.

Dices cum Mauritio quæst. 9. in fine: quod bene possunt distinguenda specificè differre; & tamen distincta solo numero distingui: patet: albedo in homine, & Leone, solum numeraliter variatur; sicut albedo in Sorte, & Platone: in quibus distinguenda, scilicet, subiecta differunt specie: & tamen albedo, quod est distinctum, solo numero differt.

Contra: quia implicat, rationem alicuius distinctivam essentialiter, esse ab alia essentialiter distinctam; & distinctum per ipsam, essentialiter non differre ab illo, quod per aliam constituitur, & distinguitur: patet per singula discurrendo: ergo si fundamenta harum relationum sunt distinguenda formalia, vel quasi formalia, & specificæ illarum, ipsæ necessario inter se distinguuntur eo modo, quo distinctiva sunt inter se distincta.

Nec exemplum de albedine est ad rem: quia albedo non postulat subiectum specificum, seu commune, cui det esse, sed solum individua; & idem ordo illius ad subiectum semper est singularis: secus accidit his relationibus, quæ ex se tam ut inhæreant, quam ut resultent, postulant subiecta communia; & idem iuxta illorum distinctionem distinguuntur. Vel dicito: quod albedo; etiam si de nomine lapidem, & hominem, & res diversorum generum; habet ex sua natura eundem modum denominandi, dando illis tantum esse specificum; non inter se; sed per ordinem ad alia colorata. At vero, tres prædictæ genericitates ex sua natura habent denominare naturas communes, modo explicato; & ita tam ex parte fundamentorum, quam ex se, specie distinguuntur. Nec obstat Doct. quæst. tertia Antepredicament. appellans harum distinctionem materialem: nam distinctio materialis in plus se habet, quam numerica: non enim valet: est distinctio materialis: ergo numerica: licet bene è contra: Distinctio namque relationum realium per fundamenta est materialis: non tamen est numerica.

Ad primū

Ad argumenta: ad primum dico: tum quod Doctor non loquitur Metaphysicè in sensu primæ conclusionis, in quo præcipue procedit difficultas; sed Logice, & in sensu secundæ conclusionis. Tum etiam; quia in hoc sensu, non loquitur ex mente propria, sed secundum viam communem: hoc enim ad solutionem argumenti sufficiebat: suam autem mentem exposuit in Prædicamentis quæst. 3.

Ad secundum nego consequentiam: corporeum enim, & in corporeum accidunt substantiæ, ut sic: ergo substantia corporea, & in corporea, non distinguuntur essentialiter: Unde locus?

Ad secundum

Ad tertium nego sequellam: nam genus, quod est primum prædicabile, abstrahit à generalissimo, & sub alterno, tanquam superius ab inferioribus.

Ad tertium

Ad quartum nego antecedens: nam genus habet duplex inferius: alterum eiusdem denominationis, ut sunt tria genera relata: alterum diversæ denominationis; ut sunt naturæ denominatæ; de illis prædicatur per se, tam in prædicatione signata, quam exercita: hæ enim sunt in primo modo: genus infimum est genus; genus subalternum est genus: de istis autem denominationibus prædicatur: & idem proprie subijcibilia generis dicuntur; quod licet ad illas, ut sunt aptæ fundare subijcibilitatem, in quid, incomplete; & non genericitatem; terminetur: non obstat, ut respectu suorum inferiorum talem genericitatem fundent, siue infimam, siue subalternam, & supremam, quæ inter se essentialiter distinguuntur. Maxime, quia falsum est, quod dicitur, genus, scilicet, ad sui essentiam non aliud postulare, nisi ut prædicetur tanquam quoddam totum potentiale in quid incomplete: quia ultra hoc, requiritur, ut prædicetur de multis specie differentibus: & cum talia possint fundare illam triplicem genericitatem: idem genus de illis est prædicabile: ac per consequens subijcibilia generis ex se sunt apta hanc triplicem relationem fundare.

Ad quartum

QVÆST. III.

An diffinitio generis sit convenienter data?

Nihil igitur neque superfluum: neque minus continet generis dicta descriptio, &c. Cap. eodem,



VERITUR, an diffinitio generis sit convenienter data? Quod non videtur: quia omne accidens diffinitur per substantiam: substantia enim præcedit omne accidens, diffinitione, cognitione, & tempore, per Arist. septimo Metaphysic. sed nihil ponitur hic ad substantiam pertinens: ergo, &c.

Tex. cō. 4.

Item:

Item: concretum non diffinitur, septimo Metaphysic. ergo, &c. probatio antecedentis per Aristot. septimo Metaphysic. in dictis secundum accidens, non est idem, quod quid est, cum illo, cuius est: & exemplificat, ut Musicum, & album: quæcunque verè diffiniuntur, habent quod quid est idem sibi: ergo, &c.

Cap. 1.

Item: probatur ratione: quod enim diffinitur, est in genere: sed concretum non est in genere, per Aristot. tertio Topicorum ubi dicit: quod magis est eligendum, quod est in genere, quam quod non: ut iustitia iusto.

Item: diffinitio tantum est speciei: genus non est species: ergo.

Item: hic non ponuntur genus, & differentia, quæ ad veram diffinitionem requiruntur, per Aristot. sexto Topicorum.

7. Metaph.

Tex. cō. 13

Capit. 4.

Cap. 2. & 4

Item: per Aristot. sexto Topicorum: diffinitio datur innotescendi causa: idem dari debet per priora, & notiora: species non est tale: quia est posterius genere, vel simul natura: & ita non prius, vel notius.

Item: nugatio est dicere, pluribus differentibus: probo: quia differentia in se includit multitudinem: veluti species suum genus: quod patet per Aristot. 5. & 10. Metaphysic. ergo & differentia concrementius dicunt multa: ergo est nugatio, dicendo, multis differentibus: & si, ly, pluribus, ponitur pro multis, vel si comparativè, adhuc idem significat.

Text. non

habente cō.

Text. com.

10. 12. &

17.

Dicitur ad hoc: quod nugatio est in præponendo inferius superiori ex eadem parte orationis, non è conuerso: quia inferius tunc est specificans superioris.

Capit. 3.

Contra: Aristot. sexto Topicorum; ubi docet interimere diffinitiones propter nugationem, dicit sic: rursus; si uniuersali dicto addatur, & particulare, supple nugatio est: ut si de mentiam diminutionem expediens, & iustorum: nam iustum expediens quid: quare iustum continetur in expediens, sicut inferius in suo superiori: abundans ergo iustum; id est, superfluum est in diffinitione, prius habito expediens.

Text. com.

43.

Item: dicitur septimo Metaphysic. cap. de unitate diffinitionis: quod nugatio est in præponendo differentiam superiori inferiori: ut animal habens pedes

bipes: quod ibi probatur dupliciter: uno modo ex per se modo cognoscendi nugationem: quod est ponendo rationes pro nominibus: nihil enim aliud dixerat, quam animal habens duos pedes habens. Aliter probatur idem ibi, sic, ex transpositione terminorum. Palam autem erit; si quis transponat tales diffinitiones dicens: animal bipes pedes habens: dicto enim bipes: superfluum est dicere, pedes habens: prius ergo fuit nugatio. Hæc duo media, scilicet, de ratione ponenda pro nomine: & transpositione terminorum; si valent, si pro quia, & ubique, improbant prædictam responsum.

Ad oppositum est Porphyrius.

Et Aristot. sic diffiniens genus primo Topicorum.

Capit. 4.

Dicitur ad quæstionem: quod est descriptio, non vera diffinitio: quod innuitur in littera; cum dicitur: quod etiam describentes.

Sed sic, facile est euadere pene in omnibus diffinitionibus: nec illud ex littera prodest: quia in littera est assignauerunt, id est diffinierunt.

Item: inferius capit. de specie dicit: necesse est, in vtrorumque rationibus, vtrisque ut: ratio autem, quam significat nomen, est diffinitio, 4. Metaphysic.

Text. com.

8.

Item: hæc ratio conuertitur eum diffinito: ut probat Porphyrius: & non prædicatur ut accidens de ipso: quia quæ ponuntur in ea, sunt eiusdem generis cum diffinito: quia intentiones: quodlibet autem eiusdem generis, quod prædicatur per se de alio eiusdem generis, est superior ad ipsum: quia nec inferius, nec disparatum: ergo hæc ratio est diffinitio.

Item: per Aristot. septimo Metaphysic. ratio, quæ est ex prædicatis per se, in quorum diffinitione non cadit per se subiectum: si sit conuertibilis cum diffinito: est diffinitio: hæc est huiusmodi: quia in diffinitione nullius diffinitiuum cadit diffinitum.

Text. com.

11. & 13.

Item: prædicatur per se, & conuertibiliter: & non ut proprium: quia tunc tota hæc ratio posset diffiniri: neque; ut differentia vltima: tunc enim illi oporteret addere genus: sed addendo uniuersale, quod est genus diffiniti in hac diffinitione, erit nugatio: ergo hæc est vera diffinitio.

K 1

D 1